DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE

CALCULO,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. SALOMONIS VAN TIL,

S.S. THEOLOGIÆ DOCTORIS ET PROFESSORIS, ORDINARII.

NEC NON

Ampliſſimi Senatûs Academici Conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,


Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Publico examini ſubmittit

CHRISTOPHORUS SAMUEL HERMANN,

Cizâ Saxo.

Ad diem 14. Martii, horâ locoque ſolitis.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud ABRAHAMUM ELZEVIER, Academiæ Typographum. M. DCC IV.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO AC SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

MAURITIO GUILIELMO,

POSTULATO ADMINISTRATORI EPISCOPATUS NUMBURGENSIS, DUCI SAXONIÆ, IULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, ANGRIÆ ET WESTPHALIÆ, LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, ET UTRIUSQUE LUSATIÆ, PRINCIPALI DIGNITATE COMITI HENNEBERGIÆ, COMITI MARCÆ ET RAVENSBERGI, DOMINO IN RAVENSTEIN, ETC. ETC. ETC.

PRINCIPI AC DOMINO MEO LONGE CLEMENTISSIMO.

Digitized by Google

REVERENDISSIME AC SERENISSIME

PRINCEPS,

DOMINE LONGE CLEMENTISSME.

PErſarum olim Reges neminem ad conſpectum aut colloquium admiſiſſe, niſi qui ſecum ferret munera iis offerenda ex veteri Hiſtoriâ notum eſt; usque adeo, ut nefas eſſet inſigne, vacuis Regem adire manibus. Neque vero hoſce Monarchas adeo munerum habuiſſe rationem quam offerentium animi, Ælianus auctor eſt: Unde

Digitized by Google

Unde nec ARTARXERXEM ſumptam â ſubdito ambabus manibus aquam eique oblatam fuiſſe aſpernatum cum ſupra allegato Æliano refert Plutarchus. Quo faciliorem mihi veniam promitto, REVERENDISSIME ATQUE SERENISSIME PRINCEPS, quod chartaceum hoc & inane munuſculum Reverendiſſimis manibus TUIS offerre ſuſtineam, humillimæ erga SERENITATEM TUAM obſervantiæ pignus atque teſtem. Quo nomine ut Sereno illud vultu bees, etiam atque etiam rogito. Quod ubi facis, ſimilem TE TIBI, TUISQUE virtutibus præſtas. Verum enimvero animus impræſentiarum haud eſt in laudes TUAS deſcendere, quas jamdudum ſempiternis monumentis æternitati inſculpſit Fama, adeo, ut tam ſublime, tamque magnifice dici queat nihil, quin TUÆ illud virtutes infinitis paraſangis exſuperent. Illud enim vide, quanto amore, quanto benevolentia non ſolum eruditos, quorum TU IPSE REVERENDISSIME ATQUE SERENISSIME PRINCEPS revera es princeps, ſed & eos, qui vel limina tenent bonarum artium, foveas atque proſequaris. Accedit his munificentia TANTO PRINCIPE digna, qua omnes atque ſingulos beare ſoles. Dabis veniam, ſpero, ſi benignitatem TUAM, ſupra quam dici vix quidquam poteſt, in me, meosque parentes hic prædicem. Ad me quidem quod attinet, utut mihi fortunæ invidiâ haud contigerit in TUIS, REVERENDISSIME AC SEREMISSIME PRINCEPS, terris naſci, TU tamen hoc,

Digitized by Google

hoc, quidquid erat jacturæ, abunde reſarcire voluiſti, me & in civem TUUM adoptando, & privilegiis beneficiisque ſummis præ aliis muniendo. In parentes autem meos, ſumma quæ per tot annorum intervalla ex uberrimo CLEMENTIÆ TUÆ fonte emanarunt beneficia ut longa hic ſerie recenſeam non deſiderabis, cum illa ſint majores, quam quæ cogi queant in anguſtum ſchedulæ hujus ſpatiolum. Cum igitur TE & nobis omnibus, & mihi privatim TIBI uni vindicaveris, TIBI qualemcumque hunc ingenii mei fœtum ſacrum facere haud dubitavi. Et quam vellem dignus eſſet, qui TUIS tangatur manibus, atque â TE foveatur! Sed quod operi deeſt, illud TUA, REVERENDISSIME ATQUE SERENISSIME PRINCEPS ſpero, facile penſabit clementia. Ita SERENISSIMÆ DOMUI TUÆ Numen æternum ſit propitium! TE nobis, SERENISSIMAMQUE CONJUGEM, PROLEMQUE CELSISSIMAM ſalvos incolumesque in ſeros usque annos conſervet idem Deus! Id optat chariſſima Patria, optant id aræ & foci, optat denique & vovet

REVERENDISSIMÆ SERENITATIS TUÆ.

Dabam Lugdun. Batavorum d. 13. Martii M. DCC. IV.

devotiſſimus humillimusque ſervus
CHRISTOPHORUS SAMUEL HERMANN.

Digitized by Google

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS. DE CALCULO,

Proœmium ad Lectorem Benevolum.

QUas impræſentiarum de Calculo tecum Lector Benevole communico meditationes, eæ ſunto loco ſpeciminis alicujus, mihi ex hac Academia diſceſſuro elaboratæ. Haud equidem operæ pretium videbatur in conſcribenda materia tam trita deperdere chartas, cum in noſtra Medicina haud deſint myriades thematum longe excellentiorum: Sed negligere eadem placuit ultro, quod conſcius meimet ipſius Icari vices vererer, ſi res meditarer ingenio meo altiores. Noli autem L. B.

Digitized by Google

in anguſto paucarum paginarum ſpatiolo quærere plenariam Calculi hiſtoriam, vel Oceanum doctarum ſpeculationum; Sola brevitas mihi pro Zodiaco erit, & ſimplex materiæ ventilatio, cum adjecta pediſſequa indivulſa, Veritate. Calculus eſt morbus ſatis proh dolor ubique terrarum notus, curatu inſuper non tam difficilis ſi ad cathedras vel libros practicos acceſſeris. Sed aliter longe ſe res habet ante cubilia ægrorum; HIC RHODUS, HIC SALTA! *Quare nemo bonorum, arbitror, me atro carbone notabit, quod neglectis ſublimioribus ea ſequar, quæ ad inſtitutum meum facere videbantur ſimpliciter: Studium Medicum eſt ſtudium mere practicum, ideo & ea, quæ ad praxin ſpectant jure merito anteponuntur curioſitatibus. Zoilum autem cum ſuis naſutis aſſeclis qui pro ſecretis habent nodum in ſcirpo quærere, & ego facile abundare ſino ſuo ſenſu: Hi ſcilicet ſciant, me riſus & διασυρμοὺς eorum jamdudum præripuiſſe pleno cachinno, nec me valde ſolicitum eſſe de ſiniſtris eorum judiciis, quia tela prævisa minus nocent. Sed ad rem ipſam tandem ut bonis avibus accedamus, propoſitum mihi eſt, univerſum thema ita pertractare, ut ordine hactenus recepto primo Etymologiam atque Definitionem, ſecundo Cauſas, tertio Differentias, quarto Signa, & quinto ex his promanantem Prognoſin, ſexto denique Curam tam concreti Calculi, quam Præſervationem à reditu ejuſdem breviter, ac quantum per ingenii imbecillitatem licet, diſtincte proponamus. Altiſſimum autem Numen ut his noſtris conatibus adeſſe, ſuoque præſidio noſtram infirmitatem ſuffulcire velit, invocandum nobis eſt precibus ardentiſſimis. Vale Lector Benevole, & favorem mihi tuum conſerva!*

I. Eruen-

I.

Eruendæ Calculi etymologiæ diu haud inſudabo, cum nulla in hac occurrat difficultas. Scilicet â Calce nomen ſortitus videtur, & Calculus idem eſt, ac ſi diceres parva calx; Hinc & pleræque nationes in ſua vernacula lingua ejuſmodi eum vocabulo denotant, quod â calce, vel alia ſubſtantia quadam lapidoſa derivari poteſt percommode: Notari autem meretur, hanc appellationem ſaltem eſſe metaphoricam, quod calculus in corpore animali concretus non nihil differat â calcis & reliquorum concretorum lapidoſorum ſubſtantia, uti paulo inferius demonſtrabitur, ubi de calculi analyſi. Græci λίθον eum nominant, ut & λιθίασιν. Hæc autem denominatio tunc valet potiſſimum; quando in veſica hæret calculus, at, ſi renes afficiantur, vocabulo communi cum reliquis renum affectibus; νεφρίτις audit. PARACELSO Tartarus appellatur, PLATERO Tophus, aliis aliter, Germanis. Der Stein.

II.

Definio Calculum, quod ſit ſubſtantia quædam dura, ê particulis omnis generis, ſalinis, terreſtribus &c. interveniente apto quodam glutine inter ſe coagmentatis in corpore animali præter naturam concreta, obſtructiones, exulcerationes, doloreſque exquiſitiſſimos excitans.

III.

Genus definitionis conſtat ex αὐτοψίᾳ & ipſo tactu; Æmulatur certe Calulus in corpore humano & pondere & duritie reliqua concreta lapidoſa, color quoque & externa figura ejus lapidibus admodum analoga eſt, adeo, ut plura hic adjicere operæ pretium haud ſit.

IV.

Subjectum Calculi præ reliquis ſunt renes & veſica urinaria, quæ ſeparandæ & excernendæ urinæ inſerviunt: Priores illi conflati ſunt ex minutiſſimis glandulis, intra quas ê ſanguine per arterias Emulgentes influo, ſecernitur ingens ſeri, cum admixta ſalium & bilis copia, quæ poſtmodum per exiguos ductus, quos carunculas papillares Anatomici nominant, deſcendunt in renum pelvim, atque ex eo ope ureterum in veſicam urinariam ſub ſpecie urinæ, inibi moram tamdiu nectunt, uſquedum urgente quantitate â veſica per uretram penitus ê corpore eliminantur. Ex his ſimul patet, quare hæc præ reliquis membra tantopere calculo vexentur: Scilicet, cum ad naturæ imperium intra renes & veſicam ſeparari debeant atque excerni ſerum, & ſalia inutilia aut ſaltem ſuperflua, cum bile admixtâ, hinc facile contingit ut cum

Digitized by Google

hiſce (præſertim ſi maſſa ſanguinea non recte ſit conſtituta) permultæ particulæ terreſtres, viſcidæ, &c. ſeparentur quibus ſi accedat gluten aliquod idoneum, nil amplius obſtat, quo minus naſcatur corpus aliquod lapideum. Gluten autem illud quale ſemper ſit, determinare vix auderem, interea ſi dicendum quod res eſt, bilis hiç utplurimum omnem mihi paginam abſolvere videtur, idque ob ſubſtantiam ex qua potiſſimum conſtat unctuoſam. Reliquas quoque particulas oleoſas pro matre legitima calculi agnoſcere neutiquam dubitarem, hinc & videbis ſubjecta obeſiora, & quorum ſanguis oleoſior eſt, ad unum omnia ad calculum eſſe propenſa.

V.

Fit autem hæc concretio ſemper præter naturam, quod illa toto cœlo ſit contraria ejuſdem intentioni, quippe quæ de conſervando domicilio ſuo ſemper ſollicita, omnia illa, quæ eidem contraria aut nociva ſunt, totis viribus ut deſtruat, allaborat.

VI.

Præ reliquis animalibus Homo expoſitus eſt cruciatibus calculoſis, ſed & hic ea intercedit differentia, quod viri ordinarie crebrius eo laborent & atrocius, quam fœminæ, quod partim vivendi rationi, partim autem (quoad nempe veſicæ calculum) uretræ ſtructuræ tribuendum eſſe arbitror, quippe, quæ in fœminis exiſtit longe brevior & amplior quam in viris, hinc licet & in iis calculus gignatur, tamen & exitus facilior, & mitiores ſunt dolores. De cætero nec immunia ſunt bruta, præſertim ea, quæ ſanguine gaudent gelatinoſo: Ita enim conſtat experimento lanionibus quoque noto, in porci, ſtomacho ne dicam an veſica urinaria? (nunquam enim in ſitu ſuo naturali eum mihi videre contigit) reperiri ſæpe calculum magnitudine adeo ovum gallinaceum ſuperantem. Sic *Platerus Tom.* 3. *Prax. Med. c.* 15. prodit, ſe inter curioſa aſſervare grandem calculum, ab equo per anum ejectum. Plura exempla non adduco, cum inſtituti noſtri haud ſit de calculo brutorum hic agere. Legantur de hac materia paſſim ſcriptores rerum curioſarum, in his extant plauſtra exemplorum. Præ reliquis autem *Schenckius* annotavit quæ deſiderio benevoli Lectoris ſatisfacere poterunt.

VII.

Magnitudo Calculorum variat tam ratione ſubjectorum, quæ iis corripiuntur, quam ratione locorum in quibus coaleſcunt: Ita ratione prioris ordinarie in juvenibus minores generantur, quam in adultis. Ratione autem loci notetur, veſicæ calculum eſſe majorem, quam renum,

Digitized by Google

num; cujus rei cauſa quærenda in ampliori veſicæ ſpatio unice eſt, nimirum ratione illius calculus ſe commodius expandere, & ſic in majorem molem excreſcere poteſt. Multiſaria quoque figura eſt, nunc ſunt rotundi, nunc ovales, nunc anguloſi, uno verbo, quot ſunt calculi, tot fere eorum figuræ diverſæ. Si in renibus vel aliis anguſtioribus locis coaleſcant, ſæpe eandem figuram aſſumunt quam domicilium habebat, ſic refert *Dolæus*, ſe vidiſſe integrum renem â calculo ita exeſum, ut nihil præter membranam eum cingentem remanſerit, ſubſtantiæ autem glanduloſæ locum calculum occupaſſe renis figurâ.

VIII.

Duritiem quod concernit, notetur eos, quamdiu adhuc abſconduntur intra corpus notante *Barkhuſio* & aliis longe eſſe molliores quam poſtmodum, ubi liberiori aëri exponuntur. In cauſa procul dubio ſunt humores perpetuo alluentes; Nec dubito, quin aer ambiens multum ad eorum duritiem conferat, ſi aliquamdiu â corpore fuerint ſeparati. Videmus & hoc in lapidibus in macrocoſmo, illi, quamdiu in lapicidio adhuc degunt, permolles ſunt, ac tantum non friabiles, ſucceſſu temporis, poſtquam exemti fuerint ex illo ab aere ſic indurantur, ut vim duriſſimi chalybis ſæpe eludant.

IX.

Ad cauſas deveniendum, in quibus eruendis mira eſt inter Medicos diſſenſio; Ego eorum controverſias hic meas non facio, ſed quid rationi æque atque experientiæ magis conſentaneum videtur pauciſſimis nunc in medium proferam. Antequam autem id fiat, haud foret inconſultum, ut analyſin calculi chymicam quam celeberrimus *Barckhuſius*, in Academia vicina Ultrajectina *Prof. P.* inſtituit, hic exponamus. Sumebat ille calculi veſicæ ℥v. deſtillabatque ex arena ſecundum artem, peracta deſtillatione inveniebat phlegmatis ℥ß. ſalis volatilis cum admixta tertia parte olei ℥ß, olei empyreumatici ℥ß circiter retortæ adhærebat, reſiduum autem â deſtillatione librabat ℥v, adeo ut dimidia circiter pars calculi deſtillationi obtemperaviſſet; Hæc rurſus in crucibulo igni nudo ſubjecta denuo amiſit ℥ij, remanentibus tantum pro capite mortuo ℥iij, ulteriorem ignis torturam reſpuentibus. Nolim autem ego credere in omnibus & ſingulis ſubjectis texturam calculi unam eſſe eandemque; conveniunt tamen ni fallor in eo omnes tanquam in centro, quod de ingredientibus ſupra allegatis ſaltem aliquid participent.

X.

Cauſa igitur primaria meo judicio eſt colluvies variorum pravorum

Digitized by Google

humorum, ſalſorum puta, quos & ſuo jam tempore *Hippocrates* pro matre calculorum habuit *lib.* IV. *de morbis C.* 5. viſcidorum, bilioſorum; Ex his humoribus ſi in loca illa ſecretoria perveniant, ſecernuntur paulatim particulæ terreſtres, ſalinæ, &c. adhærent lateribus renum vel veſicæ, primo ſaltem inſtar muci alicujus, ſecedunt paulatim particulæ aqueæ & fluidiores, ſubſtituitur identidem ex ſanguine materia nova augendo calculo idonea, adhæret concreto priſtino, hinc & teſte *Etmullero* calculi majores utplurimum lamellatim inſtar ceparum lamellis ſibi mutuo ſuperimpoſitis concreſcunt. Hic etiam ſæpiſſime concurrit acidum obſervante Dolæo & ſupra allegato *Etmullero*, hinc & ſubjecta hypochondriaca & ſcorbutica ſæpe queruntur de calulosis doloribus, ut & ſtrenui vini potatores: Confirmat certe hanc noſtram ſententiam experimentum *Takenii*, qui ex ſubjecto vi ignis calculo extraxit ſpiritum acidulum ſatis volatilem, relicta terreſtri ſubſtantia in retorta, levi atque friabili, qua tamen reaffuſo eodem ſpiritu acido priſtinam iterum nactus fuit duritiem. Conceptum autem faciliorem de calculi concretione mihi ſuppeditat conſideratio lapidis illius, qui in thermis paſſim Germaniæ Superioris ſub nomine Ochræ ſeu Tophi naſcitur: Nempe ille potiſſimum coaleſcit in canalibus illis, qui inſerviunt aquæ transfundendæ, adhæretque primis diebus inſtar limi alicujus tenacioris, mox obducitur duriuſcula quadam cuticula ſeu potius cruſta, durior identidem evadit, uſquedum tandem in tantam excreſcat duritiem, ut reliquis lapidibus non cedat etiam duriſſimis. Eadem quoque eſt ratio materiæ illius Tartareæ, quæ doliorum vino repletorum parietibus affigitur.

XI.

Nonnulli hic accuſant peculiare fermentum in renibus corruptum, quid autem per illud intelligant, fortaſſis ipſi neſciunt; Hinc pari merito paſſu ambulant cum iis qui in ſpiritum aliquem lapidificum mirum in modum invehuntur; Aut enim jam in corpore adeſt diſpoſitio ad calculum, puta omnis generis particulæ hæterogeneæ; his ita conſtitutis calculi ultro generabuntur quemadmodum & extra corpus tale quid accidit in rebus inanimatis, atque ita non opus erat ſpiritu ejuſmodi lapidifico; ſin nulla adſit materia apta calculo generando, nullus orietur calculus, licet & integræ horum ſpirituum myriades adeſſent, quia ſecundum canonem illum antiquum: EX NIHILO NIHIL FIT: niſi fortaſſis particulæ illæ ex quibus conflatus eſſet ſpiritus ille lapidificus tam craſſæ ſint, ut ipſæ queant degenerare in calculum, quod tamen revera eſſet infra dignitatem ſpiritus.

Digitized by Google

XII.

Inter cauſas remotas antecedentes præprimis numeratur ſtomachus imbecillis ex vitio enim hujus reſultat concoctio ciborum imperfecta, ex illa chylus & ſanguis depravatus, & variis hæterogeneis particulis imprægnatus. Huc pertinet & impedita tranſpiratio; Cum enim certum ſit, ideo à natura inſtitutum eſſe transſpirationis negotium, ut ope ejus ſuperfluum & inutile ſerum cum variis admixtis particulis identidem diſſlentur, non poſſunt non, ubi illud impeditur intra poros partium remanere multifariæ particulæ, terreſtres imprimis, viſcidæ, ſalinæ, quæ ſi inibi maneant in hydropem vel alios graves morbos incidunt facile homines, at ſi à natura aliam viam quærente reſorbeantur in venas & una cum ſero appellant ad renes, ex illis ad urinariam veſicam, facile fieri poteſt ut in his partibus concreſcant. Pejus adhuc eſt, ſi morbus à parentibus in liberos propagetur; quo autem id modo fiat apparebit paulo inferius.

XIII.

Methodi, quam ſequimur, nunc ratio poſtulat, ut ad cauſas Procatarcticas deveniamus; In his merito obtinent primatum omnia ea quæ ſtomachum & primas vias replent humoribus hæterogeneis, cibi nempe ad unum omnes diſpepti & diſchymi, carnes fumo induratæ, ſale conditæ, lacticinia, panis non bene liberatus à particulis furfuraceis, præſertim, ſi more paganorum ſale copioſius condiatur; Nocet quoque eſus cancrorum fluviatilium conjunctus cum potu vini acidi, præterea potus cereviſiæ minus defæcatæ, acidæ, ex aqua turbida confectæ, vina acida, tartaro atque ſulphure abundantia, qualia ſunt Germanica plurima. Inter cibos autem oblitus propemodum fuiſſem caſei, qui præ omnibus cibis excellit quoad diſpoſitionem ad calculum; Hæc ſcilicet infelix peſſimæ hujus ſobolis mater eſt, præſertim autem ille Caſeus qui ſenio vel vermibus confectus, aut ob lactis ex quo paratus fuerat abundantiam particularum terreſtrium nimis durus eſt. Et quid mirum calculum ſuum incrementum caſeo acceptum referre, cum vel ruſticis conſtet, caſei ſubſtantiam totam quandam conflatam eſſe ex materia calculo analoga, vel pejori adhuc, putrida puta, & ſeminio pariter verminoſo ac ſalibus acerrimis abundante, hinc & in proverbiis eſt: CASEUS EST NEQUAM. Videbis & hoc, quod ii qui calculo laborant utplurimum magnopere delectentur ex eſu caſei: Hæc quoque ratio eſt genuina, cur in hiſce regionibus ſubjiciantur homines tam multi cruciatibus calculoſis, quia ſcilicet ob paſcuorum elegantiam copiamque caſei conficiuntur & plures & elegantiores, hinc hominibus (præſertim plebejis) cedunt in cibum frequentiorem; OCCASIO ENIM FACIT FURES. Ejuſdem fere cum caſeo farinæ ſunt cereviſiæ pinguiores ad unam

omnes,

Digitized by Google

omnes, conſtantes maximam partem ex glutinoſis & terreſtribus particulis: hinc ratio facile erui poteſt, ob quam una ſæpe urbs præ reliquis, vicinis proprios quaſi ſibi venditet calculoſos incolas. Aerem quoque ipſum quis ultimo loco neget multum conferre ad λιθογένεσιν? Inſpiramus nempe tota die cum illo multas particulas ſalinas ſabuloſas &c. quare in pulmonibus hominum æque atque brutorum (præcipue ſeniorum) utplurimum invenies nodulos materia quadam lapidea impletos.

X I V.

Accedendum nunc eſt ad differentias, quarum jamjam in paragr. quinto facta fuit mentio; loca videlicet generationi calculi quaſi propria ſunt renes & veſica; veſicæ calculo pueri & juvenes teſte experientia frequentius affliguntur, ſi cauſam quæras, ſuſpicor ſubſtantiam ureterum multum ad hoc contribuere, pueri enim ſi ad calculum ſint diſpoſiti malum procul dubio primum in renibus manifeſtabitur, hic ſcilicet incipit concretio calculi, natura autem eum protrudere ſtudens per ureteres dimittit, idque fit eo commodius, quod ſubſtantia eorum non adeo ſit firma in junioribus quam in adultis, hinc tranſitus facilior conceditur, at poſtmodum in veſica, cum quotidie nova ſuperaddatur materia calculum adaugens, hæret inibi, nec ob magnitudinem exire poteſt per uretram. Adulti magis obnoxii ſunt renum calculis ob rationem contrariam. Nec tamen ibimus inficias & vice verſa adultos calculo veſicæ, & pueros renum ſæpe laborare. De cætero oritur hic quæſtio, num veſicæ calculus ſemper naſcatur ex calculo renum? Reſpondeo, quod non. Quia uti paulo inferius audiemus etiam in multis aliis corporis partibus naſcuntur Calculi, ideo, quid obſtet, quo minus & illud in veſica contingat plane non video: Deinde & hoc pro nobis pugnat, quod pueri ſæpe laborent calculo veſicæ abſque ullo præcedente præſentis in renibus calculi indicio. Id tamen haud negabo, veſicam urinariam plerumque pati culpa aliena, renum puta, qui materiam calculoſam, vel calculum jam compoſitum ad eam tranſmittunt.

X V.

De calculorum autem in aliis quoque corporis partibus exiſtentia nemo eſt, qui dubitet: Conſcripta ſunt hac de re integra volumina, de quibus hic nihil dicam, ne limites harum pagellarum tranſgrediar: Præ reliquis autem in obſervandis calculorum differentiis admodum curioſus eſt *Felix Platerus in Praxi Medica*, ex quo impræſentiarum tantum pauca in medium proferam. Sic narrat celeberrimus auctor *Tom. II. Cap.* 7. Se ab ægro quodam qui diu ex tumoribus glandularum ſublingua-

gualium laboraverat facta inciſione extraxiſſe ex una earum calculum magnum & oblongum. *Item Tom. III. Cap.* 15. de ingenti calculorum copia, figura & colore diſtinctiſſima, expuitione rejecta ab ægro, de calculo piſi magnitudine per nares emuncto, ut & de calculis per anum excretis, in glandula pineali, ipſo oculi bulbo, tonſillis, callisque pedum repertis paſſim legantur ejus ſcripta. *Waldſchmidius in Praxi ſua Medica* etiam caſum refert primo illo Plateri admodum analogum de mercatore quodam, cui poſt adhibita emollientia ſua ſponte provenerat ex glandulis ſublingualibus lapis amygdali magnitudine. Sic *Blaſius cap.* 3. *Comment. in Veſlingium* refert, ſe quondam in hepate cadaveris humani inveniſſe peculiarem ſacculum, compoſitum ex involucro hepatis communi refertum & multis, & variis lapidibus. *Hippocrates de morbis vulgaribus lib. V. ſect.* 7. multis verbis depingit caſum aliquem medicum cujus hæc eſt ſumma, quod virgini cuidam poſt dolores atrociſſimos, labores partus æmulantes ex ipſa uteri vagina prodierit lapis ſtupendæ molis. Et quæſo, quid tophi illi, qui in podagricorum articulis concreſcunt ſunt aliud, quam materia quædam calculoſa? Hæc ſola intercedit diſcrepantia; quod molliores illi ſint præ reliquis. Unus autem adhuc reſtat locus in quo calculi ſæpiſſime generantur, folliculus nimirum fellis; Cum enim ejus officium ſit bilem intra hepatem elaboratam ex parte colligere, uſque dum tempore juſto effluat ad inteſtinum duodenum, hinc facile accidit, ut & hic coaleſcat corpus aliquod lapidoſum, præſertim ſi una cum bile abeant in folliculum particulæ terreſtres, quæ facile admiſcentur oleoſis & ſalinis particulis, ex quibus bilis ſecundum ordinarium naturæ curſum conſtat, ſunt autem hi calculi plerumque permolles atque inflammabiles, ex quo conſtat, potiſſimam earum partem conſtare ex oleo viſcidiori. Hoc certe calculorum genus vel hoc nomine reliquis omnibus curatu eſt difficilius, quod nullum medicamentum vires ſuas commode eo uſque poſſit exerere partim ob transfluxum bilis tardum, partim ob loci canaliumque anguſtiam, partim ex eo, quod vix ibi inſtitui queat lithotomia, ob metum inflammationis ſupervenientis. Atque hæc dicta ſufficiant de calculorum differentiis, qui plura de hac materia legere cupit, ille legat *Kentmannum* de calculis qui in corpore vel membris hominum inveniuntur. *Guilielmum Fabr. Hildanum*, *Severinum & alios.*

XVI.

De diſcrepantia calculorum ratione figuræ, duritiei, magnitudinis diximus in antecedentibus, ut & de modo quo generatur calculus

B nunc

nunc & de propagatione ejus hæreditaria pauca dicenda reſtant. Nimirum, quemadmodum ſecundum illud Poëtæ; FORTES CREANTUR FORTIBUS ET BONIS, ita & ſani ſanis, ægroti ægrotis; Sic videbis integras familias, quibus adeo proprii ſunt dolores calculoſi, ut eum qui liber ab illis eſſet vix pro legitimo familiæ ſuæ membro agnoſcerent. Et quid mirum tale quid fieri, cum ex ſemine parentum naſcantur liberi, ſperma autem illud melius eſſe haud poteſt ſanguine illo ex quo elaborabatur. Accedit & hoc, quod utplurimum liberi inſiſtant parentum veſtigiis, quoad nimirum affectus, quoad vivendi rationem, ſi igitur parentes v. g. Bacho aut Veneri litent, aut iræ indulgeant, nonne & â liberis idem fiet? Hinc perpetui infelicis hujus patrimonii hæredes exiſtunt.

XVII.

Ita ſæpe quoque Lac nutricum calculoſarum calculoſos reddit infantes obſervante *Hippocrate lib.* IV. *de morbis ſect.* 5. Cauſa eſt, quia utplurimum tenelli infantis nutrimentum abſolvitur ſolo lactis uſu, ſi igitur nutrix ſit calculoſa infundetur idem morbus infanti una cum lacte.

XVIII.

Inter ſigna Diagnoſtica numero dolorem vehementem atque gravativum in regione lumborum ſi renibus inſit calculus; veſicæ calculus ſe prodit titillatione quadam moleſta circa peritonæum in pubis regione, mucilagine & materia viſcida una cum urina ejectis, & aliis pluribus ſignis quæ omnia tamen indicant calculum in renibus & veſica incipientem. At, ſi abſolutum ſit opus generationis calculi alia ſigna accedunt, v. g. ſtupor cruris ob nervum cruralem compreſſum, excretio ſanguinis cum urina, huc refer vomitum perpetuum, aliaque plura ſymptomata, quæ ad unum omnia ſuſpitionem præbent concreti intra renes calculi; Confirmatus veſicæ calculus efficit dolores circa uretram diſtenſivos, pruritus circa membrum virile, ſi vir ſit, teneſmos, inſtigationes ad mingendum crebriores, quod ſuo jam tempore ſubolſecit *Hippocrates*, qui ultimo memorata in quinque calculi confirmati ſignis locavit *lib.* IV. *C.* 5. *Etmullerus* inter certa quoque ſigna refert, ſi audiamus ſonitum calculi ab extra v. g. in motu corporis vehementiori, at num hoc poſſibile ſit ego valde dubitarem: Ex urina etiam peti poſſunt nonnula ſigna, illa eſt turbida, lactei ſæpe coloris, materia purulenta plus minus referta, admixtæ inſuper ſunt arenulæ & materia ſabuloſa. Caveamus autem, ne in inſpicienda urina confundamus calculum cum ſcorbuto, ſiquidem & ſcorbutici ſæpe edunt mictu corpora quædam duriuſcula calculo analoga: Inter hæc autem & calculos proprie ſic dictos

Digitized by Google

ctos hæc advertatur diſcrepantia, quod urina ſcorbuticorum ſit utplurimum ſubrubicunda, & quaſi lixivioſa, urina calculoſorum albicans & turbida. Merentur autem excretiones illæ ſcorbuticæ nomen potius ſalium ab aëre exteriore coagulatorum quam calculi proprie ſic dicti. Signa autem calculi in folliculo bilis conſtituti poſſunt eſſe dolores punctorii in hypochondrio dextro, obſtructiones bilis, & inde reſultans Icterus. Calculi in reliquis corporis partibus hærentes manifeſtantur potiſſimum per inflammationes, tumoreſque. Qui plura ſigna deſiderat, legat *Etmullerum.* Sed moneo ſigna ea, præſertim quæ ad veſicæ & renum calculum ſpectant admodum eſſe incerta atque dubia, hinc cautela opus erat, ne nos turpiter demus: Si immiſſo cathetre exploremus præſentiam calculi in veſica, tunc facile errare haud poſſumus. Caveamus etiam ne cum eodem confundamus paſſionem colicam; Differentia maxime petitur ex eo, quod calculi cruciatus ſint fixi, cum dolores colici per omnem inteſtinorum fiſtulam excurrant: Accedit, quod murmura paſſim in colica audiantur, & flatus percipiantur, in calculo non æque. Confer *Waldſchmidium in Prax Med.*

X I X.

Signa prognoſtica potiora & certiora ſunt hæc: Morbus nimirum ille eſt chronicus, manetque apud pleroſque, licet poſt ejectos calculos aliquamdiu paroxyſmi novi ceſſarint, ad ultimum uſque vitæ halitum diſpoſitio ſaltem calculoſa, quæ ubi per concatenatum medicamentorum uſum, diætam ſtrictam, abſtinentiamque ab omnibus animi commotionibus vehementioribus malum non prorſus in herba quaſi ſupprimitur, facile recrudeſcit, longe acrius quam antea ægrum excrucians. Quid vero dicemus, ſi malum ſit hæreditarium? Ibi profecto curationi aut nunquam, aut ſaltem rariſſime locus relinquitur, quidquid obganniat Medicorum turba. De cætero vel unicum illud longe reddit calculoſos affectus periculoſiores, quod arbor ille habeat infinitos propermodum ramos, ſymptomata puto multifaria. Talia ſunt, motus convulſivi, dolores acerbiſſimi, Agrypniæ, Febres, Appetitus proſtratus, Deliria, & centum alia, quæ vel per ſe ſatis ſunt apta ad ægrum enecandum. Legantur, *Dolæus & Platerus.*

X X.

Cæterum refero inter bona ſigna, ſi æger adhuc ſit integer viribus, nec multis obſitus annis, animi præſentis, ſi calculus nondum excreverit ad molem nimiam, ſi ſit frabilis, urina ad ſtatum naturalem redeat, item, ſi interdum fruſtulatim ejiciatur ſubſtantia quædam lapidoſa.

Digitized by Google

doſa. Rebus ſic ſtantibus noli ſollicitus eſſe: Hic aliquando cernes uſum medicamentorum lithontripticorum. In genere autem notetur calculum renum vel hoc nomine eſſe minus periculoſum veſicæ calculo, quod medicamenta aſſumpta majorem exercere vim queant in renibus quam in veſica.

XXI.

Malis ſignis meritò contra annumeratur, incrementum calculi nimium, aut magna durities, inveteratus morbi ſtatus, ſic enim nec commode per vaſa excretoria eliminari, nec per Lithontriptica imminui poteſt: Accedit infirmitas naturæ, quæ tamen eleganter notante *Waldſchmidio* in pellendis calculis plus faciat neceſſe eſt, quam omnia medicamenta. Si adnatus autem ſit renibus vel veſicæ, atque firmiter adhæreat eorum lateribûs, neque tum nobis polliceri poſſumus felicem eventum. Quidſi exteriora frigeant, interiora æſtuent, ſudores largi, iique frigidi prorumpant, pulſus inſuper exiſtat infirmus? Ibi ob inflammationes, vel potius ſphacælum ſupervenientem Hannibal ante portas.

XXII.

Atque hæc ſufficiant circa calculi Theoriam, reſtat adhuc, ut adjiciamus pauciſſimis qua ratione pellere poſſimus hunc hoſtem, quod ut eo feliciori Minerva fiat, conſultum foret, ut ſecundum conſuetas methodi medendi regulas totam hancce ſanandi rationem ſuperſtruamus duabus indicationibus, quarum prior exhibeat modum quo calculus jamjam in corpore concretus deſtruatur; ſecunda ſubminiſtrabit remedia quibus generatio calculi nova impediatur, quæque corpus noſtrum præſervent ab hoſpite illo moleſto.

XXIII.

Auſpicanda autem foret medendi methodus â paroxyſmo morbi, quippe, antequam ille tranſeat, incaſſum adhibentur omnia medicamenta. Hoc autem in paſſu palmam reliquis omnibus præripiunt facile andyna omnis generis, conſtatque exemplo non uno, quod *Excellent. D. Rivinus*, *P. P. Lipſienſis* celeberrimus, Præceptor quondam meus ad cineres uſque venerandus, ſolo anodynorum uſu ſuſtulerit & magnos & multos calculos absque adhibitis ullis aliis medicamentis: Ratio eſt in promptu, calculus nimirum vel in veſica vel in renibus hoſpitans exitum ſibi quærit, demittitur proinde vel ad ureteres vel ad uretram, fibræ eorum ob doloroſum calculi ſenſum contrahuntur â ſpiritibus animalibus copioſius influentibus, ſic exitus via præcluditur, & calculus hæret firmiter: ſi vero per aſſumpta anodyna coerceantur

Spiritus

Digitized by Google

Spiritus animales, & quaſi tranquilli reddantur, tunc relaxantur ſua ſponte fibræ, & calculo ſpatium conceditur exeundi. Sed ponamus & nos interdum fruſtrari noſtra intentione, quoad calculi ejectionem, ſaltem illud nobis efficitur anodynis, ut doloribus ſedatis curam primariam aggredi eo melius queamus. Exhibeantur igitur pro hoc ſcopo Opiata, Crocata, Papaverina, & reliqua Soporifera; Opium ſaltem vel ideo reliquis hic præferendum eſt, quod & citius operetur & potentius: Sumatur itaque vel in forma pilularum, vel diſſolutum in conveniente aliquo liquore v. g. aquâ ceraſorum nigrorum. Adduntur & percommode Anodynis Antipaſmodica: Talia ſunt, Ebur, Cornu Cervi, Ungula alcis, Cornu Rhinocerotis, dens Hippopotami, Succinum, & alia. Notemus autem, quod omnia terrea ejuſmodi vel minori in doſi, vel ſaltem cum addito vehiculo ſatis largo conjungi debeant, alias in deterius vertent morbum ob ſuam cum calculo analogam ſubſtantiam. Uſu externo hic proſunt cataplaſmata regioni lumborum vel pubis, prout illud exigit rei ratio, applicata, ex floribus Chamomillæ, Melitoti, ſemine Lini, oleo Hyoſciami & id genus aliis; Valent quoque linimenta ex oleo Scorpionum, Liliorum alborum, Papaveris &c. Neque Clyſmata emollientia atque anodyna hic ſuo uſu deſtituuntur.

XXIV.

Sed hæc maximam partem eſt cura ſaltem palliativa, qua ſaltem calculi effectus tolluntur, cauſa ipſa remanet utplurimum, ut autem & illa ejiciatur, ad alia medicamenta accedamus. Præmittuntur autem meo judicio reliquis jure merito purgantia, quæ an liceat in uſum hic vocare, ſi Practicos paſſim conſulamus infinitas invenimus litigationes, & perpetuas controverſias. Nolo illas jam prolixe recenſere, & ea argumenta, quæ pro defendenda quisque ſua hypotheſi proponit, ventilare: Interim, ſi dicendum quod res eſt, uſum purgantium hactenus ſatis ſuperque commendavit & ratio & experientia. *Thomas Sydenham*, medicus Anglus celeberrimus, qui antea in ſcripto publico de Podagra purgantia in affectibus calculoſis adhibita damnoſa judicaverat, poſtea in ſe ipſo cum calculo vexaretur nullum efficacius remedium deprehendit, quam Mannam Calabrinam ſæpius ſumptam, hinc & *in Praxi ſua p. 704. edit. Lipſ.* publice revocat priorem opinionem.

XXV.

Ratio autem, ob quam purgantia optimi uſus ſint eſt ſequens: Supponimus illud tanquam indubium, plerorumque morborum, (præcipue chronicorum) originem proficiſci ex vitio primarum viarum, cum

Digitized by Google

ex his tanquam ex fonte chylus, & ex eo confectus ſanguis ad omnes corporis noſtri partes promanet. Si igitur ſtomachus & inteſtina tenuia repleta ſint ſaburra pravorum humorum, bilioſorum, acidorum, viſcidorum, nil prorſus impedit, quo minus una cum chylo hæc talia ad partes etiam remotiſſimas ferantur. His præſuppoſitis, quis non videt uſum in calculo purgantium prorſus incomparabilem? Liberato enim ſtomacho & reliquis primis viis à materia vitioſa, non amplius conſpurcatur eadem chylus, maſſa ſanguinea exinde etiam melior ſe habet, & per conſequens calculus in corpore hærens ulteriori incremento privatur; Cum autem ſecundum canonem illum tritum, OMNE MATERIALE DECRESCAT, non immerito ni nova ei materia aggeratur calculum eum imminui ſtatuimus, quando non amplius accipit pabulum ſuum: Accedit cura & ſedulitas Naturæ, quippe quæ de conſervando ſuo domicilio ſemper ſollicita, ea omnia quæ præter intentionem ſuam irrepſerant, protrudere conatur omnibus viribus. Atque hunc ſuum conatum ſæpe prodit per diaphoreſin ſpontaneam, per diureſin, per vomitus, atque mille aliis modis. Proinde nemo me notabit atro calculo, ſi ſtatuam, poſt ſedatos dolores purgantia plurimam abſolvere paginam.

XXVI.

In eligendis autem purgantibus nimis anxii haud ſimus, cum ſcopus ſaltem primarius ſit educere pravos humores; Si tamen præ reliquis hic quandam laudem mereantur profecto ſunt omnis generis Cholagoga, ſub qualicunque forma; Huc pertinet Rabarbarum ſub forma potiſſimum infuſi, Aloë, Jalappa, Polypodium, folia Sennæ, Scammonium, & quam tantopere in hoc morbo extollit *Sydenham*, Manna Calabrina. Purgantia autem omnia fortiora Antimonialia & Mercurialia, ut & vomitoria cane pejus & angue vitentur, ne ob commotionem nimiam ſpirituum animalium excitentur novi dolores ſpaſmodici. Huc merito quoque revocatur uſus acidularum, imprimis iis conveniens, qui queruntur de acidi abundantia. Potum autem thermarum ego vix hic ſuaderem, cum & ex αὐτοψίᾳ conſtet, ipſas thermas abundare particulis omnis generis ſulphureis & terreis.

XXVII.

Præmiſſis evacuantibus, proximum ſibi locum vendicant Diuretica, modo adhibeantur caute & cum judicio. De Lithontripticis quidem diſceptatum fuit nullo non tempore, num exiſtant Lithontriptica revera talia? Reſpondeo, dari omnino, atque multa medicamenta eſſe,

quæ

quæ imminuant calculum, dummodo cœtera ſe ita habeant, uti quidem habere debebant: Nempe, ſi ſanguis & reliqui humores bene ſint conſtituti, locum habent Lithontriptica; Sin minus, fruſtranea erit omnis cura. Experientia ſtat à noſtris partibus, quia poſt exhibita Diuretica ſæpe cernere licet multas particulas ſabuloſas una cum urina ejectas: Et quid mirum, tale quid in corpore noſtro poſſe Diuretica? cum & in macrocoſmo duriſſimi quivis lapides, integraque adeo ſaxa à ſola aqua ſæpius alluente imminuantur, ſecundum notum illum verſiculum: GUTTA CAVAT LAPIDEM NON VI, SED SÆPE CADENDO. Eſt autem imminutio ejuſmodi opera non unius hebdomadis, ſed vel integrorum annorum, præſertim ſi infirmoris texturæ ſit æger. Quod autem vulgo de peculiari vi lithontriptica nonnullorum liquorum acidorum imprimis, nonnulli jactitant minus videtur probandum. Neque enim ſequitur, calculus extra corpus noſtrum conſtitutus poteſt ſolvi in Spiritu Salis petræ, ſeu Nitri, ergo & contra calculum intra corpus hærentem eadem virtute pollet ille Spiritus; Quo minus id fiat obſtat ſpatium quod emetiri debet antequam ad locum affectum perveniat. Ac licet in calculi veſica eum per uretram in veſicam infundere velis, itamen nihil efficies, quia ille procul dubio vim ſuam magis exercebit in ipſam veſicæ ſubſtantiam, quam calculum.

XXVIII.

Sint vero Diuretica varia, pro ſubjectorum, vel ſtatus morbi diſcrepantia, modo ſint mitiora; talia ſunt, decoctum Apii, Dauci, Aſparagi, Saxifragiæ, Adianthi, fructus Halicacabi, Roſarum ſylveſtrium, & alia, in ſpecie Allium cum aqua deſtillata Juniperi pro hominibus durioris ſtirpis incomparabile medicamentum eſt, licet delicatiores ab eo abhorreant, quia ſapore gaudet & odore Allium minus grato. Diuretica ex animali & minerali Regno hic æque non conducunt, quia conſtant pleraque maximam partem ex terreſtribus particulis. Si vero quis iis uti volet ſaltem minori in doſi & cum largo vehiculo ea adhibeat. Si ſubjecta calculoſa ſint bilioſa inſimul exhibenda ſunt acida, ſimul atque abſtergentia ſalſa; ſi acidum dominetur, amara potius conducunt.

XXIX.

Alvus præterea ſemper aperta ſervetur, ne preſſiones inteſtinorum nimiæ verſus renes vel veſicam urinariam anſam præbeant novis doloribus: Quapropter ſuadeo ut ſæpius injiciantur clyſmata emollientia & anodyna.

XXX.

XXX.

Sæpe autem hæc omnia proh dolor fruſtra tentantur. Ratio eſt varia, aut enim maſſa ſanguinea manet in ſtatu priſtinæ impuritatis, ob diſpoſitionem hæreditariam, ob diætam ægri depravatam, aut calculus excrevit in nimiam molem & duritiem, aut firmius adhæret veſicæ & renum lateribus, adeo, ut vim Diureticorum eludat: His ita conſtitutis ad Lithotomiam confugiendum eſt, quod tamen, ſi dicendum quod res eſt, periculoſiſſimum, ne dicam prorſus deſperatum curæ genus eſt, ex eo, quod effectum ſaltem tollat, neutiquam vero cauſam, ſicque videbis illos qui Lithotomiam perpeſſi ſunt, niſi continuo utantur medicamentis à calculo præſervantibus, &c. rurſus incurrere in priſtinum morbum. *Helmontius* narrat de quodam puero, qui decimo tertio ætatis anno jam bis perpeſſus fuerat Lithotomiam, & moriebatur in tertia operatione, quam periculoſiorem reddunt ſupervenientes ſæpiſſime inflammationes, hæmorrhagiæ, & alia graviora ſymptomata. Pertinet autem Lithotomia potiſſimum ad veſicæ calculum, quamquam & aliquando urgente neceſſitate renes quoque ſecandi ſint, verum illud rarius. De modo jam nihil dicam, cum ad inſtitutum noſtrum adeo pertinere haud videatur, quapropter relinquamus hæc peritis hujus artis magiſtris. Curioſiorem autem Lectorem pro ſatisfaciendo ſuo deſiderio ablego, ad *Solingen*, *Barbette*, *Fabricium Hildanum*, *Severinum* &c.

XXXI.

Hæc eſt cura calculi renum & veſicæ, cum qua maxima ex parte eandem ſibi poſtulant reliqui in corpore concreti, quia ex eadem cauſa naſcuntur; Ii autem, qui in exterioribus corporis partibus hærent, vel eo nomine faciliores ſunt curatu, quod commodius inciſione facta eximi queant, & cum minori periculo. Quod attinet ad eos qui intra fellis veſiculam nati ſunt, fateor difficillime curam procedere, ob rationes ſupra allegatas: Commendanda tamen poſt purgantia erunt omnis generis quoque Aperientia ſuperius recenſita in claſſe de Lithontripticis: Radici graminis hic à nonnullis miracula tribuuntur; Terebinthinata omnis generis etiam multum proſunt, teſtantibus exemplis permultis.

XXXII.

De venæ ſectione adhuc non nihil adjiciendum erat, an nempe uti liceat illa? Reſpondeo, hic ſemper & ad morbi circumſtantias, & ad ſubjecti afflicti habitum corporis eſſe reſpiciendum. Interim certum hoc

eſt,

eſt, eam parum conferre ad calculi decrementum: Si autem ſuperveniant inflammationes, ſecetur vena, & largiter mittatur ſanguis, præcipue ſubjectis plethoricis. In genere non adeo anxie ad ſymptomata reſpiciatur, id modo obſervetur, ut acceleremus curam cauſæ primariæ, & ſua ſponte ceſſabunt omnia accidentia. Ulcera interim ſeu abſceſſus, ſi qui ex anguloſitate calculorum in veſica vel renibus naſcantur, obducuntur facile per mitiora adſtringentia & balſamica.

XXXIII.

Tantum de cura calculi concreti, nunc & tribus ſaltem verbis agemus de remediis iis, quæ impediunt novam generationem ejus, nosque præſervant ab eo. In his primus locus conſecratus eſto diætæ parcæ & laudabili: Comedantur omnis generis alimenta eupepta & euchyma, contra vitentur ea, quæ chylum illaudabilem præſtant, concoctuque difficilia. Prioris generis ſunt juscula, & partes animalium molliores, pulmenta, & id genus alia. Potus ſit tenuis, & liber â particulis ſalinis viſcidis, & terreis; Pro hoc ſcopo valent, infuſum Thee, Coffe, cereviſia Noviomagenſis, & aqua mera fontana: Subinde adhibeantur leniora laxantia, ut identidem in ſtatu integritatis conſerventur primæ viæ; Lenia quoque juvant Diuretica & Diaphoretica, quæ illud quod in renibus, veſica, porisque corporis reliquis hæret, paulatim eliminent. Acida quoque & bilis juſto tempore præcipitentur & abſtergantur, illa per Abſorbentia, Lapidoſa, Terrea, & imprimis Martialia; hæc ope Acidorum & Salſorum varii generis. Quibus ſpecifica curæ cordique ſunt, lepori combuſto pro ſcopo præſervandi miracula tribuunt, at, mihi ſi integrum foret, aſſationem ejuſdem combuſtioni anteferrem. Optimum autem eſt remedium præſervans motus corporis vehementior, & vita laborioſa, quare nec facile inter ruſticos (laborioſos puta) videbis hominem calculoſum: Veſtimenta ſint firmæ texturæ, imprimis regiones lumborum & pubis à frigore muniantur; Addo & hoc, quod fæces & urinæ juſto tempore emiſſæ præſervent à calculo: Hinc cernes, aulicos, & eos qui ſæpe honoris gratia per tempus longiusculum retinere coguntur excrementa, ſæpe evadere calculoſos. Dominium affectuum tibi, ultimo loco commendatum ſit, abſtineatur à commotionibus animi, imprimis ab ira, in qua tantopere humores turbantur, ut & à mœrore, & Venere nimia.

Digitized by Google

XXXIV.

Hæc ſunto, quæ de calculo monenda breviter ac tantum in genere duxi. Qui de hac materia plura legere cupit, adeat Practicos; Neque enim mihi propoſitum eſt de hac materia integrum tractatum conſcribere, ſed notitiam ſaltem compendioſam communicare cum L. B. Huic meo propoſito ſi & effectus reſpondiſſet, mihi gratularer; Sin minus, (ut vereor) hoc mihi pro ſolatio eſto, quod favor & gratia benevoli Lectoris hanc meam inopiam facile reſarcient. Stet igitur voluntas pro viribus. Ultimo loco id moneo, quod omnia ea, quæ hic poſita ſunt intelligi debeant cum grano ſalis; Quæ enim hic commendavi ſemper cum judicio adhibeantur, & poſitis certis circumſtantiis, alias nos conſpurcabimus Empyricorum maculis. Deo autem Ter Optimo Maximo, pro immenſa ſua, & nunc, & à primo vitæ halitu nobis exhibita gratia, debentur laus, gloria, & honor in ſecula ſeculorum.

COROLLARIA:

I.

Omnes Medici qui unquam celebres fuerunt, id unite acceptum referant neceſſe eſt legitimo Anodynorum uſui.

II.

Anima humana propagatur cum Semine parentum.

III.

In Aëre peculiare Vitæ pabulum.

IV.

Cauſa omnium febrium proxima eſt motus præternaturalis Spirituum animalium.

V.

Omnia Exanthemata à ſeminio verminoſo.

VI.

Uſus Omenti non eſt alius quam recipere è ſanguine particulas ſuperfluas oleoſas.

VII.

Omnia Evacuantia, præſertim Purgantia hypochondriacis ſunt veneni inſtar.

VIII.

Nervi non ſolum Spiritus animales advehunt ad partes, ſed & eosdem revehunt ad Cerebrum & Cerebellum.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google